

Q.N. 535, 7. B

II a
542

(K 1853723)

BIBLIOTHECA
PONICKAVIANA

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK
HALLE
(SAALE)





Le

A

In

Sim

Lepidi Philalethis Sannio-
nis, Vtopiensis

ACADEMICVS
SOMNIANS.

Satyra

In laudem modernæ Eruditionis
conscripta.

Typis mandabat in Parnasso

Simon Rinobasilus Typotheta
Phœbeus.



M DC LIX.

Q

H

es
On
cir
me
qu
fin
ma
om
fall
ho
& i
bar
gna
ma
pro
vol
jeci
tol
to
& A
gift
cav
diti
vera
pat





PRÆFATIO AD LECTOREM.

HAbes hîc, Lector, *Satyricon*, quod ridenda pariter & dolenda eruditionis hodiernæ facies vel invito expressit. Quisquis es, invenies, quæ te vel delectent, vel pungant. Omnibus ut placeat scriptum, non permittit, circa quam versatur, materia: quòd omnes non mordeat, de eo verò gratulor bono publico, quoniam dentur adhuc, qui Satyrâ non digni sint. Cordatus si es & communis egregii amans, non potes, quin mecum sentiâs, quin abomineris simul, atque explodas fucos illos, & fallacissimam veræ doctrinæ speciem, quibus hodiè illaqueantur animi & seducuntur. Sin & ipse adhæres majori parti, ac complex es Barbaræ factionis, ne mirare, si tangeris, neve indignare; sed tace potiùs, & reconde tecum, quæ te malè habent, & si potes, resipisce. Id palàm profiteor, nemini me de industriâ ægrè facere voluisse, nec quicquam acrimoniæ calami subjecisse, præter abusus, quos agnoscunt omnes, tollere perpauci conantur. Perstrinxi penè cunctos eruditionis ordines, perstrinxi scholasticos & Academicos, perstrinxi, ingenuè fatebor, magistros cum discipulis, inferioris & superioris cavæ. Sed quosnam? Nempe, qui falsæ eruditionis, ipsiusque tandem Barbariei emissarii, veræ, quæ adhuc restant, doctrinæ semina extirpatum eunt. Quicumque ergo ob hæc indigna-

bitur is sciat, velim, demonstrare se, cuius sit generis, aliisque prudentibus suavem risum, sibi frustra cordolium, mihi manuum complosionem excitare. Non sum aliàs homo, qui laudem in scurrilitate, & delectationem in aliorum vituperio quærat; cùm tales plerunque non videant manticæ, quod in tergo est, semperque alterius, quàm suos errores emendare faciliùs præsumant. Ast, quid vis fieri, mi Lector? Commorunt mihi cum splene bilem, quæ passim hodie & in horas accidere, ipsa testabatur experientia. Ulteriori præmunitione non opus esse arbitror: aggredere, lege, perlege, judica; rem ipsam, si sanæ mentis es, ita se habere invenies. Vis paucis omnia? vel utere, vel ringere; idem libello pretium manebit. Vale!

*Tui commodi, vel te veniente,
Studiofus,*

**Lepidus Philalethes Sannio,
Vtopiensis.**

Cdm



Um scribendi omnes ardore ab unguiculis usque hodie perpruriscant, & suas unusquisque nugas erudito orbi monstrare laborret; quis mihi id vitio verterit, si & ego somniis meis, reliquorum vanitatis non autor, sed sectator, aures oculosque hominum vel exhilarare, vel onerare, prout acceperint, volucro? Satisné magnum hoc *πνεύμα* oratorium? Esto: sed sic factum oportuit.

*Nam qui non teneras sermonem flectit ad aures,
Irritat miro secula nostra modo.*

Sic postulat, inquam, modernus eruditorum ordo: illi etenim antiquioris literaturæ homines passim hodiè negliguntur; cum veteranæ latinitatis eadem sit ratio, ac vestium, quarum quotidie novus excogitatur modus. Apud nostros jam nemo Latinus habetur, nisi qui fluentibus, & tantùm non fluctuantibus orationem firmatibus decoret, metaphoras, metonymias, figuras, schemata, varii coloris plumas adsarciat, periodosque tam latè extendat, ut robustus aliquis rusticus, totis adnissus pulmonibus, vix uno eas spiritu pronunciaverit. Quid tandem ex versicoloris hujus sermonis consarcinatoribus putatis fore? Quid? nisi ut novâ Psittacorum specie cognitâ, brevi ad nos Indi advolent, ad unum eos omnes suas in regiones, ceu nova animalia, transportaturi. Satis diu misit nobis Australis terra tam lepidos alites; necesse est ean-

dem nostris quoque bonis aliquando ditari. Et mancant illi: Hispani tamen nautæ, genus hominum ex patrio more rapacissimum, non abstinebunt; clam & palam ad uncis manibus prehendent, auferent, auhent, immanique alibi pretio vendent. Sed manum de tabula. Quorsum progredior? Sufflaminandus sum, instabilis certè ingenii homo. De somnio quodam meo agere institueram, & modò in Indiâ, modò in Hispaniâ, jam circa sermonem, deinde cum Pittacis, denique cum nautis versor. Abstinebo impostertim ambagibus, & proponam vobis miram profus (mihî certè) visionem; Seu somnium illa, seu phantasma, seu enthusiasmus, seu ecstasis dicenda sit. Naturâ enim communicativus sum, præcipuè nugarum. Attendite igitur ore, naso, oculis, auribus apertissimis, quò penitus in vos dicta mea, non exigui, si Dis placet, ponderis, influere valeant.

*Nox erat, & fessus lecto dum membra repono,
Plurima tranquillam turbabant somnia mentem:*

Sederam enim solito diutiùs ad nocturnam studiorum testem, lucernam, oneraturus animum studiis, oculosque debilitaturus, non debito, nec convenienti tempore. Medicorum certe filii dissuadent lucubrationes, ut oculis totique nostri corporis constitutioni noxias.

*Turpe quidem dictu, sed, si modò vera fate-
mur,*

noctem ego de die feceram; coactus fui proinde
diem

diem de nocte facere. Fervidissimum anni tempus mihi suavit, ut, ubi cum sodalibus diem dimidiatum mortuum combussissem, fractis inertiam oculis grabbato supinum me reclinarem. Reversus inde ad symposium, cum aliquandiu consedissem, postliminio studiorum recordatus sum, subiitque poenitentia male perditum temporis. Quid fieret tum? confestim me domum recepi, mihi latus inter eundem obtigerat: verecundabar eum accipere honorem, multisque tergicurviiis & manubasiis detrectabam. Tum ille conversus, minaci sane vultu, & Tunc, inquit, ex numero stultorum es? quæso abstine à nugis, nisi mavis ut à me relictus, alium viæ monstratorem quærere cogaris. Puerum te, oppidò sæpe virgis cæsum esse oportet, qui adultus etiam nates porrigere non desinas. Et cum dictis amplissimè deducto rictu, affacim rissit, complois que manibus, eamus, inquit, nugator. Primam ego sic vice reprehensus abstinere inutilibus didici ceremoniis. Dum sic ambulamus, ego ex hominis immodestia audentior factus, interrogavi, quisnam esset? Videbatur quippe ad irridendum & subsannandum facta à natura facies; simus nasus, os diductum, caput calvum, oculi minuti & obliqui fidem haut obscure faciebant. Et puduit me tum primæ meæ & intempestivæ verecundiæ: cum stultum sit civilitatem coram iis colere, apud quos incivilitas pro lege est. Ille autem renidenti vultu ad me conversus, *Satyricus sum*, inquit; hoc facies designat; nomen, si sapis, percontari desine.

i. Et
omi-
tine-
hen-
retio
rsum
s cer-
co a-
n Hi-
fitta-
nebo
vobis
a so-
s, seu
unica-
e igi-
o pe-
lacet,

pone,
mea-

m stu-
mum
o, nec
e filii
e no-

fate-

oinde
diem

Stomachum mihi movit impudens & dicax lingua, nec tamen, licet iterum repulsus, destiti, quin ulterius rogar. m: si nomini suo tantum tribueret, indicare saltem, quas in oras deductus essem, quidve ædificium illud denotaret, non dedignaretur. Annuit hisce; & sic, ait, iussit meis, cujus à superciliis universa Poëtarum confuges pendet. Arrectis ergò auribus accipe, quæ nosse, maximoperè desideras.

Hæc, quam domum vides, integra quondam fuit Resp. nunc, præter ejus nomen, nihil Reip. retinet. *Literaria* autem appellatur, nomine, quod inter Ludimagistros, pastores, pueros denique vestros pervulgatum est. Sive enim de non soluto stipendio lamentetur Ludimagister, sive malitiam pravamque educationem juventutis defleat sacerdos, sive denique puerorum aliquis de scholâ orationem aut chrejulam habeat, continuò periclitari REMP. LITERARIAM, pessundari Remp. Lit. Reip. literariæ causâ conscriptam orationem, ad nauseam audias. Felicissimè hæc olim florebat, perque cogniti mundi universas partes imperium suum extendebat, dum adhuc *Latium* & *Hellas* Reginæ, geminæ sorores, altera Occidenti, altera Orienti liberè imperarent.

Quid referam tibi multa de seculo isto, quod jam præteriit? aut de ministris Reginarum, qui nunc umbræ sunt? Et properandum est, ut ante diei apud vos exortum præstò sim denuò ad Phæbeum solium, cujus custodia his in locis hodie mihi demandata est, donec ex aurigatione

reyer-

revertatur dominus. Ex terræ aliquando visceribus immanis; etiam gygantibus gens sævior, enata est. Asininum illi caput, ferrea lingua, cor plumbeum. *Barbaries* appellatur nomine, cuius vel ad auditum exhorrescas. Hæc, tanquam Cadmea progenies, ab incunabulis ipsâque nativitate atrox, bella movere nobis tentavit, quamvis imbelli conatu & viribus nondum adhuc sufficientibus. Fælices fuisset, nocte jam ingruente, accensoque lychno, horæ unius aut alterius impendio totius diei damnum compensare conatus sum. Sed & ibi me somnus invenit; qui totum à se occupatum, non ad lectum dimisit, sed in ipsum, quem commodum in manibus habebam, librum abiecit. Sic, utut ignavissimus, totis nihilo seciùs viribus literis incumbebam. Imaginatio postea obtinens imperium, variis multisque me exagitavit somnis, donec longa quædam & diuturna oblata est visio, quam ferè talem fuisse, quasi per nebulam recordor.

Constitutus mihi videbar, in latâ patentique planitie. Virebant in eâ non uno ordine arbores; intersitæ lauris oleæ, gratâ mixtione, spectantium oculos afficiebant. In medio ara cum basi eleganti opere concinnata patronum Musarum *Apollinem* exhibebat. Circum circa chari Ministri, Medici, Poëtæque aliquot domini mandata venerabundis oculis expectabant. Ipse tacitus, humi defixo vultu, parsâ comâ, cubito innixus sedebat: non parvam ejus animum curam coquere dixisses. Dexterâ tamen seu sceptrum

seu virgam tenebat, quâ haut unâ vice vibratâ, concussam suorum turbam ad mandata peragenda excitabat. Videbatur quippe loci silentium suadere quietem; quam in super leniter susurrans aquula (Amnestiam appellatam postea comperi) commendabat. Densa ad hunc amnem ex ferulis virgulta erant; quin iisdem arboribus confitus lucus *Vapulonia* ac *Orbilio* Divis Indigetibus consecratus. Maximas hic quibusdam in partibus lacunas habebat, (ligna ibi ludimagistros excidisse dicebatur) sæcundum nihilominus arboris genus jam tum bellulè repullulabat. Emissitiis huc atque illuc oculis cùm omnia pervolarem, versùs tandem Occidentem visui se obtulit laboriosæ structuræ opus, seu domum dicas, seu palatium. *Mirè illud, & contrâ communem modum edificatum erat, dum lignea, eiq; à vermibus exesa basi, lapidea atq; immensa moles esset super imposta.* Alcumistarum ego domicilium dixissem, qui fumeo fundamento aureas inædificant contignationes; nisi innumerablem omnium ætatis hominum multitudo id me vetuisset credere. Tres erant contignationes, unâ alterâ semper ponderosior: Vnde, quoniam pondere suo facile ruiturum videbatur ædificium, singulis partibus aliquot fulcra non æqualis magnitudinis erant applicata. Miratus rei novitatem immerse me in turbam Apollineam, diuque cunctabundus pro innatâ mihi modestiâ steti; donec Poëta, ex generis sui more perfacilis, quasi animum meum perscrutatus esset, Apollinæm appellaret. Venia sit, inquit, Domine,

pete-

peregrè venienti hospiti Reip. nostræ conditio-
 nem monstrare; discendi enim avidum cognos-
 sco. Annuit ille clementi supercilio, & duc,
 inquit, ipsum ad literarii palatii ruinas; Tu au-
 tem, hospes, reversus ad tuos, memora quæ vi-
 deris. Sic ille manu me apprehensum, ibat, ut
 optatum ad locum duceret. Fortè fortuna dex-
 trum si orientes hostes metuere, & tenerâ ra-
 dice crescens aconitum suppressere didicissemus.
 Sed illi jam elatis capitibus, auctâque potentiâ,
 non unâ vice de Eruditione triumphârunt, ipsas-
 que adeò Reginas Biblio inclusas carceri hodie-
 num detinent. Nunc nobis longum mage cum
 ipsis quàm acre est bellum, & populationibus
 veriùs quàm pugnis congregimur. Semel ta-
 men dejecti cùm simus, sperare non licet, hanc
 ruinas trahentem domum, Reip. rursus faciem
 formamque induituram. Nec ipse Præses no-
 ster resistere potis est, parumque divinitatis
 Splendor, potentiâ destitutus, apud Barbarum
 hostem valet. Occidit enim Dux noster, fata
 Remp. hanc appetere, nec Divorum quenquam
 fatalem hanc necessitatem tollere posse. Ergò
 sic pugnamus; vincimur, vincimus, superamus,
 occumbimus, donec fatalis adsit periodus, &
 universa ditio nostra, ingruentem hostem exci-
 piat. Sanè, quòd in angustum vires contrahe-
 re coacti sumus, id verò prodest nobis, qui jam
 dudum succubuissemus, si latè adhuc extenso
 imperio, undique palaremus. *Parva enim
 manus conjuncta plus interdum efficit, ac ingens
 exercitus hinc inde vagabundus.* Sed, quicquid

fit, desperati pugnamus, & vires addit desperatio: novimus quidem fati nos urgeri, ante tamen decursam periodum cedere instanti hosti turpissimum putamus. Absit quippe, ô hospes, ut abolitionem nominis nostri ac potentiae inultam exteris vendamus. Sic ille, lacrimis ringentis inter speciem promicantibus detonabat; ego autem attonitus planè, singulis penè ipsius in verbis hærebam, rei novitatem & literarum miseriam tacitè mecum pervolvens. Cogitabam quippe quæ calamitas literatos maneret, quàmque parum nihilominus cognita esset plerisque qui nomine eruditorum censentur. *Paucos profectò invenies, qui imminenti tela prævideant; Reliqui, præ capitis cordisque morbo, qui φιλαυτία eluet, impendens & stans præ foribus malum nec serpunt, nec evitant.* Quotus quisque est qui fastigium jam attingisse doctrinam non existimet? quotus magistellorum est, qui pomposâ sua latinitate, humi repentis Ciceronis stylum non despiciat? quotus poëtarum, qui versus longè ponderosiores, longè nervosiores, longè suaviores non conscribat, ac unquam vel despectus ille, & suo tantùm seculo laudatus *Virgilius*, aut perspicuus nimis *Ovidius*, aut *Horatius*, aut veterum Poëtarum ullus alius facere potuit? Suavissimis verborum flosculis & extensissimis allegoriarum & Metaphorarum & Figurarum ramulis ornata est, viret, fragrat, vigetque (cur non & aret & fætet, & jacet) sermo ipsorum. Orationem hic conscribit; meratroporum congeries est. Aristotelem hic loquitur; Philosophus, Stagy-

Stagyrita, & quidvis aliud est, quàm Aristoteles. Regem, supremum nauclerum appellant, qui ad navis Reip. gubernacula sedeat; sacerdotem, egregium verbi divini tubicinem, cur non & tympanotrybam? poëtam, mysten Apollineâ lauru coronatum, cui soli

*Phæbos adytus, Musis penetralia tantùm
Cognita adire licet, ———*

alios aliis, nunquam suis, indigitant nominibus. Quin inventus est non nemo, qui bovis, ovis, capræ, canis, gallinæ, Asini omniumq; pene brutorum voces orationi suæ inseruit, eoq; sibi nomine mirè placuit. Et laudandus certè conatus! Ilyadè ut ille Homeri juglandi inclusit; ita hic omnia animalium genera tribus quatuorve pagellis illevit. Et hoc est Latinè scribere, hoc nervosam & floridam habere orationem: antiquum illud Latium rus merum est; modernum, meræ delitiæ. Accedant adhæc obsoleta & Evandri adhuc à matre usurpata verba, quæ vel juniorum diabolorum nemo intelligat, & perfectissimus erit stylus, climatisimum orationis genus. Hæc cum volverem, & olim me quoq; sic insaniisse perpenderem; ecce, magnum emensi viæ spacium propè ante Palatium constiteramus. Et bellus ille comes meus, meis me reliquerat cogitationibus, ipse interim suis intentus, donec tandem quasi ex somno excitatus; Itane verò, exclamat, oscitantes imus, quin expergiscere hospes & desideratum ædificium contemplare! Ast ego: quid

tu, quid insolita palatii hujus structura denotet: explicata: sat equidem diu illud, dum imus, contemplando fessus sum. Quid tam quassa basis, quid diversæ magnitudinis fulcra, quid tres illæ contignationes designent, rogo? Tum comes: Obruis me: sine ex viâ respirare; vobis adolescentibus nunquam quisquam tam commodè respondere potest, quin plura exigatis. Nobiscum alia res est: satis tamen, ut potero, faciam. Tempore, quò Reginae sorores captivæ sunt abductæ, fuis & jacentibus rebus nostris, Latinorum quidam, convasatis pretiosioribus, huc confugerunt, ut latè dominantium hostium sævitiam eluderent. Est enim locus naturâ munitus, quem insuper solitudo & Amnestia annis defendunt. Quam sæpe memini in luco Orbilii cæsos barbaros, aut in amne isto suffocatos! Idque stipendiarii nostri milites, Ludimagistri, fortissimo conatu patravêre, quamvis ipsorum vires acriter nonnunquam & ipsæ attritæ sint. *Expers consilii est robur ipsorum, quod nisi à superioribus rogatur, plus nociturum est, ac proderit.* Huc ergo cum prisca illi Latini venissent, tumultuati sunt, & gnariore artis suæ Architecto destituti, stolidè ad eò hanc machinam ædificârunt. Succedentibus dein annis, quæ vides, fulcra, ne ruinam opus pateretur, Phæbus applicari fecit: Fulcra autem isthæc disparis invicem magnitudinis, gracilibus inferioris ordinis columnis majoribus aliis semper succedentibus, non lignæ, aut lapideæ, quod falsò arbitraris, sunt columnæ; sed *doctorum felices*

lices anima, quibus vel adjutum olim labascens
 ædificium, vel etiamnum adjuvatur. *Scias enim,*
quot undiq; utiles Reip. nostræ conferant operas,
tot etiam hûc quasi recentia fulcra applicari.
 Nec tantum ibi inveniri credas eos, qui semper
 scholastico in pulvere militârunt, (quorum cer-
 tẽ cara hodiẽ annona, cum plerique istiusmodi
 hominum nomine fulcra, re quassatores sint)
 sed alios quoque eruditos homines, qui vel de
 stylo vel de scientiis restituendis, emendandis,
 corrigendis benè sunt promeriti. Singulis sua
 inscripta vides nomina. Stupui attonitus, mi-
 ratus comitis mei veracitatem, cui equidem, ut
 Poëtæ, agrè fidem adhibendam ante censueram.
 Conjectis quippe in columnas oculis, mox Lu-
 dimagistrorum quemque suo nomine signatum
 invenio. Hic *Smidius*, hinc *Weinrichius*, hinc ve-
 terem recentiorumque alii. Sublatis oculis,
 video *Manutium*, *Hermolaum* nomine, non sty-
 lo, *Barbarum*, *Vivem*, *Lipsium*, *Taubmannum*,
Gruterum, *Douzan*, *Scaligeros*, *Barthium*, *Pon-*
tanum, *Vossium*, & quicquid præsens sæculum
 cum præteritis eruditorum tulit. Eminebat
 maximè Musarum illud corculum, JANVS
 NICIVS ERYTHRÆVS, cui acceptum ferat
 Italia, quod Barbarici nondum succubuerit. Hi
 atque alii, sub fulcrorum specie applicati suo
 strenuè defungebantur officio; indefessique
 hians & ruinam latis rimis ostendens ædificium
 tolerabant. Quin fronte quidem sustentare
 molem, à tergo autem sagittas & tela, Parthico
 more, in adventantes Barbaros, ubi res postulet,
 eja-

ejaculari dicebantur. Venimus inde ad ostium,
vel si mavis, vestibulum palatii. Literis auratis,
cubitus longis inscripta erant sequentia:

Apollini Musisque sacrum.

RELIQUIAS. REIP. LITERARIAE.
INTRA. PARIETES. COACTAS.
QVAE. MVNDO. IMPERABANT.
QVONDAM. ADITVRVS. VENE-
RARE. FATA. IMMINENTIA.
PRECIBVS. AVERTE.

MONVMENTVM.

SIBI. SVISQVE. QVOS. BARBARIES. NON
HABET.

MOESTI. CVM. GRAVIS. RELIQVI.
POSVERE. QVIRITES.

Ad interiorē verò Ianuam, quæ in infi-
mam contignationem ducebat, hæc
appicta legebantur.

SCHOLA.

Divo. Orbilio. Sacrum. Reliquisque
indigentibus.

Scholam. aditurus. pone. libertatem. re-
sumpturus. in. Academia. Para. tergum.
excepturus. verbera. liber. &. impatiens.
non. admittitur. ad. sacrificium. &. DH.
quos. colimus. vibicibus. puerorum. pla-
cantur.

HOC SCITVM.

In-

Ingressos, Deus bone, quis factor excepit? cor-
 rugabam ilicò nasum; obturâssem lubentiùs, si
 quid præstò fuisset. Et erat sanè, strophium;
 sed illud, impeditâ utrâque manu, zonâ, cui
 valido nexu illigatum erat, expedire non vale-
 bam. Quæritis, quid impediverit? Alteram
 mihi nequam comes, cujus interea venter effu-
 sissimo cachinno concutiebatur, retinebat; alterâ
 pileum, nudato habebam capite, tùm ob discur-
 rentes furunculos, tùm, quòd atrati quidam
 flammeis oculis in minùs sequaces intuentes,
 singulis, qui capita texissent, bacillis & tremulis
 barbis minabantur, adjunctis vocibus: Depone
 Dromo. Quæ verba tantoperè horrebat
 grex puerorum, ut nec Romanos exterritos
 magis dicam, cùm funesta verba: *I licitor, col-
 liga manum, arbori infelici suspendito*: inge-
 mitari audirent. Perstrepebat conclave mille
 convitiis, & immenso clamore. Accedebant
 ejulatus puellorum vapulantium, strepitus vir-
 garum, sonusque & complosio manuum.
 Illic audiebatur millies: nescio: Præceptor da
 veniam: sin imposterum, occidito: Istic:
 para nates: detrahe caligas: affer virgam: acci-
 pe: Disce meliùs: & si quæ sunt alia quæ vel pue-
 rorum nequitia, vel præceptorum sævitia extor-
 quere possunt. Ad summam; Virgilianarum Eu-
 menidum sedes erat, ubi

— Radamanthus habet durissima regna
Castigatq; auditq; dolos; subigitq; fateri.

Vbi

Continuò fontes ultrix accincta flagello
Tisiphone quatit insultans —

Cogitate quis animus tum fuerit inueto rerum
talium.

Obstupui steteruntq; comæ & vox faucibus
hasit.

Vsque ad eò promissæ barbæ, & caperatae fron-
tes capularium senum me terruerant. Referre
si optimâ fide cuncta non possum, quæ illic vi-
di, referam saltem bonâ, utique non sublestâ.
Erat primò grex ingens puellorum, quorum, si
Alcumistis credimus, nondum satis excoctum
naturale sulphur (sulphur causam esse, odor pro-
bat) miras caligis dare solet turbas. Hi præci-
pua nasi offendicula videbantur: sedebant inter
se compacti, pingvem offarum reliquiis ac un-
dique conscribillatum singuli tenentes libellum,
Circumibant subsellia homines palliati, quos an-
te memoravi, truces, & asperi, sed pueris tan-
tùm: cæterum

— Nec veteris Pocula Massici

Nec partem solido demere de die,

spernere mihi videbantur; pustulæ sanè faciei ab-
stemios esse non arguebant. Hi oculis, super-
cilio, ore notabant pueros, quo ordine, quo cla-
more sua unusquisque recitaret: Nec submissè
licebat, stentoriè omnia agebantur; conducere

id

id agebant voci, ut jam in juventute extensum guttur tantò fortiùs aliquando de suggesto boaret. Cæterùm num distinctè aut articulatè pronunciarent, nulla cura: clamosè pronunciâsse sufficiebat. Erant ex hiscè pædotribis, qui ultimas attenderent voces, de quibus, isto recitante, illum, minùs fortè intentum, rogabant. Si prætermisisset, proh! quanta verbera! quæ pænarum genera: si nôisset, tum verò triumphabatur, ac si illum captum. *Memoriter referebantur omnia, sed non intellecta; hæc q̄, labes ad primos usq̄, pervagata fuerat.* Separati ab his sedebant *pusiones alii, opulentioris familiae, nitidiùs amicti: liberaliùs paulò hi tractabantur, ita tamen, ut de lenitatis nimietate conqueri non possent.* Singulis binisve singuli præpositi erant Pædagogi, homines gladiati, superciliosi, juvenes, quos & ego arbitrabar

Suas esse aliquid putare nugas.

Moderatores isti morum, non præceptores dici gaudebant, nec se demittere dicebantur ad illas sordes, nisi cùm torus uxore gravatus esset; cujus tamen misero desiderio plerique tenebantur. Sedebant isthïc *adolescentes natu & staturâ grandiores*, in quos moderatius imperium exercebant magistri, quamvis nec illi immunes planè à virgarum metu essent, & posteriorem frontem non rarò exporgerent. His jam tum Logica & Rhetorica & Poesis tradebantur, nondum cognitæ disciplinarum illarum nominibus. Latinitatis nulla cura, nisi quòd nonnulli frigidissimas

quas-

quasdam Tullii epistolas lectitarent, ex his solis se, quicquid elegantiarum sit, devoratuos sperantes. *Plautus* exulabat: *Terentius* vix legebatur: spernebantur Poëtæ nitidiores: *Virgilius* & *Cicero* regnabant, quorum vel apicem ipsi præceptores non intelligebant. Nec tamen ad *Ciceronis* normã stylus componebatur; legebatur ille, formabatur stylus ex cerebro; fictæ elegantia totam sermonis structuram fædabant. *Infecti præceptores infecerant discipulos: & jam laudi erat, scripsisse, quæ nemo intelligeret.* A versibus ornatum transferebant in prosam; illum à prosâ in versus: omnia inverso fiebant ordine. Obsoleta anxie conquirebant, ut essent, qui cum *Evandri* matre loquerentur. *Chrejulas* si elaborarent vel declamatiunculas, nefas putabant, nisi myriadas aliquot troporum uni pagellæ inferissent: id ornatum ducebant Rhetoricum. Et verè affectus movebant talibus; odii nempe in ipsos, & iræ in Magistros, omnium dehonestamenta Magistrorum. Excipiebat hos molestissimum & ultimum genus, feroculorum, *φιλαντων*, *nasutorum* adolescentium. Hi *Gymnasia* cluebant. Dicebantur ab infimis subselliis jam cum in locum ascendisse, qui postremus sit visitandus iis, qui *Studentes* dici cupiant. *Gymnasium* appellari, ubi à virgis demum & plagis tuto quiescere liceat, campum esse *Elysiu*m, delitium Scholasticorum, ubi vita liberioris obtutus capiendus sit, ne ejusdem nimietate opprimantur

*erunt in Academiis: eos enim, qui diu captivi fuerint, paulatim non temerè admovendos luminibus, ne cacutiant. Laxissima hominum disciplina: excusso fræno caballi erant. Par horum cum prioribus, vel minor etiam eruditio; nisi quod jam tum disputare didicerant: cæterùm major longè vitiorum licentia. Potare, scortari, turbas dare jam tum bellulè noverant, magistris conniventibus, ut essent, qui in Academiis hæc callerent, & patrarent. Observabant hi anxie grande vestibulum, quod in maximam ducebat arcam, quanta nec mente quidem possit concipi, ut apertis foribus properè semet eò penetrarent. Ne latius; tota inferior contignatio ingens chaos, non schola erat, nisi quòd tribus istis generibus rarissimi interspersi essent, mixti bonis discipulis, boni ac eruditi magistri. Sed rarissimi: & hi erant, qui doctorum nomen, quantum quidem in ipsos cadebat, merebantur; cæteri docti nomine, re stipites regnum ubique obtinebant. Ascendentibus offerebat se ad lævam grande, quod dixi, vestibulum non, ut antè, liberum, sed posito custode, inaccessum. Mirâ prorsus & stupendâ figurâ custos erat, qualem terrendis infantibus *Manducum* nutriculæ fingunt. Erat naso præacuto, oculis turgidis, prominentibus labris, tumidisque ab alapis, uti reor, malis: ad sufflandum factus planè vultus. Pendebant ab humeris tritæ lacinia, purpurei coloris ut plurimùm, dorsumque dolabris, & malleis, & secu-*

securibus, & innumeris quisquiliis gravatum, instar asini pandum erat. Cornua caput commendabant galero imposita; in manibus baculus cum ingenti caudâ vulpinâ imperium arguebat. Monstrum hoc dum aspicio intentius, non sensi à latere elapsum comitem. Subdlexerat se malus, meque potestati tam horrendæ reliquerat. Illud, ut me primum conspexit, nutantes oculos vix allevans, ehô dum, inquit, Tu quis es, qui immundus sacra penetralia adire cupis? Attonitus cum tacerem, comitemque circumspicere meum, horribili me inclamat voce: *Bacchantes, dedolari debes.* Cum dicto arreptum brachiis, penes se destituit, pueroque accito, abi, inquit, dominisque meis nuncia, adesse hinc Bacchantem, quô rudiorem in vitâ non viderim, qui me insalutato, Academiam adire voluerit. Inde me compellans, Tu, ait; mi homo, quisquis es, quomodo elapsus es scholæ & me ignorasti? Ego, collecto, quod restabat, animi, Nescivi, inquam, conditiones tuas, & scholam nunquam ante hoc tempus vidi, & quid esset, penitus ignoravi. Ast alter totus in fermento jacens, Rudis exclamât, Beane; ego, si nescis, *dominus sum Depositor*, tantò te plus habiturus miserum, quantò tu reliquis in derogando mihi honore incivilior. Quæ te, malum, dementia, quæ furia impulerunt, ut me tuiffares! Ad quam vocem experrectus in angulo Priscianus miserè ejulabat. Latetné, pergit, Dominum me vocari? posthâc faxo sis civilior, delicatule. Proh! quantum depones ruditatis: detractumque me,

clauso

clauso vestibulo, frustrâ renitentem, intrò rapit, raptum inter subsellia constituit. Augusto ibi decore plena omnia. Sedebant ordine suo canâ majestate venerabiles senes; talaribus amicti tunicis. Excipiebant hos mediæ ætatis viri, paris reverentiæ, quorum denique seriem mixta juvenum turba claudebat. *Hi omnes in meam, ut videbatur, perniciem, consenserant, convenerant, conspiraverant.* Stabam ego pallens tremensque ultimam expectans sententiam; tûm tota mox pompa in ridiculum fumum abiit. Repentè enim intulit se mediis comes meus re-nidensque, lusisse, mi Philaethes, inquit, sufficiat, sat diu tentavimus patientiam tuam. Abstine tu ab hoc manum, depositor, vosque cæteri tantisper quiescite, donec cerva pro Iphigenia substituatur: hunc enim non vestri numeri liberum esse, Apollo jubet. Est autem ante fores ingens, & viginti annorum asinus, qui depone-re ruditatem cupit. Hunc trado vobis, ne operam luseritis, tuque depositor, age cum ipso more majorum; Gymnasia est. Secessimus ego & comes in angulum, ut tam horribilia secreta rimaremur, & introductus à Depositore ingens & enormis adolescens omnium in se oculos rapuit. Palàm quippe & juratò alter affirmabat, non vidisse se aut dedolâsse intra viginti hos annos, quibus muneri suo præfuisset, majorem, senio-remque Beanum. Juvenis rustico pudore singulis salutatis, accessit ad Depositorem propiùs, humique decumbere jussus decubuit. *Quis jam ordine referre possit, solennes*

B

illos

illos ritus, qui illi adhibebantur? Expeditis è sac-
co artis instrumentis, ascia, dolabrâ, securi li-
gneis, proferebat in super ingentem librum, mi-
rabilibus inscriptum notis: nec deerat op-
pleta fuligine fistula, nec dens ingens, nec tere-
bra; quin & cornua accedebant. Stratum hu-
mi miserum primò omnium securi brachia, ma-
nus, humeros, tibias, percutiebat, *corticem se*
Bacchanti, ajens adimere. Securim ascia se-
quebatur, cum ferrâ, quibus segmenta se rudio-
ra bono illi Beano auferre dictitabat. Dolabrâ
tandem & terebrâ sic hominem malacissabat, ut
ad singulos ictus oculos intorqueret: Siquidem
mutire non licebat, quòd quoties hisceret, cola-
phis in super os obstrueretur. Fabricato sic ex-
stipite Mercurio, erigere se in genua, libroque
prolato, canere jubet. Merces cantoris alapæ
erant, quæ tanto volabant numero, ut quovis
fungo tumidius caput haberet. Inflatâ deinde
fistulâ, quòd fuligine facies fædaretur, impositis
cornibus, extracto, quem Bacchantis dicebat,
dente, adjectis dicteriis plus mille scurrilibus, cla-
bi per foramen, quod faber lignarius reliquisset.
homini mandavit: quo facto, solutus ac liber,
multis exantlatis laboribus, per fores aufugit.
Mirabar jam tum, quòd hisce nugis arri-
derent tam graves, ut videbantur, viri; & ecce adhuc
mirabile magis visui se offerebat. Rursus
namque inducto adolescente, illatas contume-
rias deprecatur depositor, senum illorum unus
accitum ad se, os aperire jubet, salisque non exi-
guam portionem indit, dicens: *accipe sal sapien-*

via: interrogatum deinde, an manere vellet, cum annuisset, dimittit. Post ille pro tantis iniuriis argentum etiam, ex lege, depositori solvere coactus, idem seni, ut patientiæ ferret testimonium, præstitit. Ascendit denique paulisper, perque superius vestibulum intronissus est in *Academiam*; nos euntem secuti sumus. Fixa in supremâ parte tabula *Academiæ*, non minus, quàm prior *scholæ*, leges loquebatur. Tota è marmore erat candidissimo, prominentesque in eâ literæ, auro eleganter obductæ, legenda habebant, quæ sequuntur:

ACADEMIA.

JACTANTIA. ET. MAGNÆ.
MATH. PIGRITIÆ. ET. LICENTIÆ. DIVIS.
SACRVM.

ACADEMIAM. ADITVRVS.
DEPONE. HONESTATEM.
VT. HONESTVS. FIAS. EXPO-
NE. CRVMENAM. VT. LEVE-
RIS. ONERE. OPPONE. TE.
OMNIBVS. VT. FORTIS. VIDE-
ARIS. STVDIA. SINT. PAR-
ERGA. SODALIBVS. MAGIS.
QVAM. LIBRIS. INDVLGEAS.
SIC. PERFECTE. ACADEMI-
CA. SACRA. COLES.
HOC. SCITVM.

B a

Con-

Conversus, his lectis, comes meus, ingenium,
 inquit, loci ex inscriptione vides: quapro-
 pter, ut tantò faciliùs tutiùsque singula perlustre-
 mus, en! cavâ te & me pariter nube cingam, ne
 oculis tot hominum, sanè ferocum, pateamus,
 Nec id mirère: concessa est mihi à Phæbo pote-
 stas ista, qui aliquotiens horum gesta & sermo-
 nes invisus aucupari soleo. Dixerat; & collapsa in-
 euntes nebula ita nos commodè textit, ut cuncto-
 rum oculos effugiendo universam loci faciem,
 tuti & liberè notaremus. *Errabant primò hinc
 inde juvenes, ita detritis & laceris vestibus, ut
 mendicos crederem, magna insuper levitatis &
 effranis nequitia, qui abs sono clamore omnia im-
 plebant, stultisq; gestibus neminem absq; injuriâ
 transire patiebantur.* Invicem hi se laceſcebant,
 mutuisq; grassabantur convitiis, donec catervâ
 hominum gladiatorum, scipionibus, quos mani-
 bus gestabant, irruentem in se viderent. Iucun-
 dum tunc aspectu erat, quomodo detraëtis pi-
 leis, omnique, quantum per fugam licebat, ho-
 noris cultu exhibito, ita repente dilaberentur, ut
 alteri, Plautino mihi militi viderentur similes, qui
 totas legiones hostium difflare solebat spiritu.
*Superbè deinde isti, quasi partâ victoriâ in am-
 bulabant, magnamq; præ se ferebant vultu au-
 thoritatem; sed vultu solum moroso: caterùm nec
 moribus, nec vestibus quid reverentia mereri eos
 posse arbitrabar.* Sex numero erant, crispuli, bar-
 batuli, rubrâ vino facie, versicoloribus amicti ve-
 stimentis atque gladiis alligati, ut milites diceres;
 cui penè rei ingentes plumæ, pileis assutæ, quib⁹
 inumbrabantur, fidem faciebant.

Quæ-

Quæris, cur gestent Mavortia signa Studentes?

In promptu causa est: sunt quoq; bella libris.

Vita Studentis enim nihil est nisi bellica vita;

Defendit causam turbæ pacata suam.

Causæ sunt belli Pennales, Pocula, AMORES,

Proq; his, & contra hos sæpius arma gerunt.

Sic detonabat Poëta meus; & mi, inquit, Philalethes, nūquid placet tibi facies nostræ Reip.? quàm citò ruituram putas? Quassa sunt fundamenta, malè extructa domus; sed omnibus his pejus est regimen, quod hic observamus. Exulat à nostris nunc literata virtus, Martique veriùs & Voluptas, quàm Minerva omnes litant. Castra in Academicam migrârunt, nec bella quid vitiorum sequitur, quod hâc non dominetur. Potando & lustris certant cum militibus, ad turbas dandas non illi faciliores sunt, quàm Academici. Iustius adhuc illorum bellum, quàm nostrum geritur. Pugnant pro regnis, pro opibus, pro potentiâ. At nostri hostes habent invicem in visceribus, pugnant inter se pro poculis, pro crapulâ, pro lustris, pro ganeis: & darine quid frivolum, quid turpe potest, pro quo evaginatum ensiculum Academicus non habeat? Vis dictis fidem? i modò & hos sequere; sunt enim optimi, hoc est, feces & sedimentum Academia. Prosecuti sumus abeuntes, egoque immeritò, (si dîs placet,) de his lamentari querulum comitem meum ratus sum. Isti sanè seniculi, semper habent, quod ogganniant juvenibus; quibus per ætatem abstinere coguntur, iis per virtutem abstinere videri volunt. An non pugnes pro scitulâ puellâ, ut ejus amore

Solus potiaris? An ferre velis, quòd alter, quid villi in vitro, ad elidendum reliquerit, quod tu totum ebiberis? An denique ab aliquo obliquè iectus, non ferro continuo contumeliã ulciscaris? Injuriam hæ sunt, non ita mussitandæ Academico, non parvi momenti, nullã re aliã, nisi sanguine abolendæ.

Ista ferat, cui ferre datum; pro corde peponem

Qui gestat, leporisq; auriti ignobile pectus.

Pennalis ferat ista; Studens non ferre tenetur,

Vix dicet hic gladio, quẽ detrahit alter, honorẽ.

Hæc dum cogito, immerferant se nostri in popinam, combusturi illic diem, inventisq; ejusdem secum farinae sodalibus, comitis mei dictis fidem ibi facturi. In popinam, dico, se immerferant: totam enim superior illa area, instar alicujus urbis, domibus & palatiis instructa tenebatur. Unde ne quis, si popinae mentionem feci, miretur, aut mendacem memorem non esse, clamet. Ignoscite potius, si mentiri videor: apparuerunt quippe hæc in somnis, & quid obsecro non fingunt Phantasmata? Nam, quod nôstis,

Somnia fallaci ludunt temeraria nocte,

sæpeque talia proponunt, quæ nec vidit, nec fando audivit quisquam. Mihi, credite, non bonus est architectus Morpheus, non mathematicus: dummodò quid oculis objiciat, nec symmetriam observat, nec disponit angulos. Pervenerant jam ad tribunal, quò diei isti vivi comburium denunciari debebat, & procedens ex domo crassus & ventriosus homo singulos blandissimo affectu salutavit. Optimi, inquit, sodales, hariolatus sum mentem vestram: ecquid commessari juvat,

— *ac tristes vino depellere curas?*

Valde profectò mihi sitibundi videmini, ita tempus est. Rem tenes, ait unus: proh lepidum caput! physiognomum te aut Astrologum factum oportuit, qui ex vultu desideria hominum rimaris. Ast ille, Astrologus, refert, aut Physiognomus, nomina vobis nota, quid sint, penitissimè ignoro: id novi, toto me prius mense olfacere, qui Genio satisfacturus ad me veniat. Amotisjocis: est mihi vinum generosum, vetus, edentulum, nuper advectum: nondum ebibere detrectante, vinum eliditur in faciem, vitrum impingitur capiti. Evolant inde domo, triaque quasi gladiatorum paria exhibent, qui paulò ante conjunctissimi fratres fuerant. Vibratis hinc inde gladiis, certum sibi omnes exitium inter se minabantur; & ecce adest vegeti adhuc roboris senex, qui ponenda arma, horumque rationem illi reddendam denunciat,

Qui pecori imperitet, quem tota armenta sequantur;

unius inde manu apprehensâ sequi se cæteros jubet. Porro de illis quid actum sit, non adeò novi, nisi quòd comes dixit, accusatos eos multorum delictorum, maxime quòd noctes diesque pergræcarentur, noctis silentium asinino ruditu rumpere, lapidibusque, quibus viæ stratae essent, crudelissimè ferrent ensibus vulnera, ejectos Academiae atque imperii Phæbei limitibus exulare debere. Nolui diutius interesse tam fædis turbis; sed majores adhuc metuens, comitem, ut gradam proferret, moui. *Interrogavi postea, quanam hac utiq;*

sit vita, in quâ pro pennâ gladius, pro libris pocula, pro studiis amores tractentur? Ingens ille ex imo suspirium ducens; vidisti, respondet, primum illorum genus, qui nostris in terris, subditi nobis atque juncti sanguine, produnt patriam & Barbariei scelestissimo exemplo benè cupiunt. Minima ex maximis observâsti; si longiùs hîc, morari contingeret, perciperes, quæ relationis fidem superarent. Promovent illi fideli opera Barbariem, dum nec ipsi literas curant, relevimus illud dolium; vos primi gustabitis, si allubescit. Sunt artocreata, lepores, perdices, innumeræ aliæ cupediæ, recens, Gallico omnes more paratæ, quæ dormientem etiam famem, imò mortuam, excitare valeant. Est & puella omnibus simulacris emendatior, matri quæ nuper elapsa, huc venit; pulchriorem aut procacior em in vitâ vos non vidisse jurabitis. Sunt alea, fritilli, cartæ, & quicquid ludorum excogitari potest; Sunt denique novitii duo *Pennales*, cæci adhuc, ut à matre nati catelli, qui vobis servient, & ne solliciti sitis, omnes hos sumtus vestro loco tolerabunt. Illi præ gaudio exilientes; beas, exclamant, nos dictis tuis, quin ducis nos intrò ad tam sacras delitias, Nunquid vitra jam disposita sunt? Eamus, fratres, lætumque hunc nobis diem ex crumenis aliorum reddamus. Proripuerunt se cum dictis intrò, statimque in dispositas dapes impudentissimè involârunt. Comparentibus deinde duobus juvenibus, quos *Pennales* popino dixerat, tantus repente tumultus excitatus est, ut misceri omnia breyique ruitura videren-

der
 erg
 uti
 pa
 tûs
 vel
 ole
 tin
 no
 arg
 Qu
 fit
 pe
 Pe
 do
 vi
 h
 m
 tu
 in
 ic
 d
 v
 n
 f
 c
 t
 p
 v
 t
 i

derentur. *Mundulè amici fuerant; adhaerere ergo miseris furum manipulus, quibus ministris uti priores dicebantur.* Detrahere hi nitebantur pallia cum ipsis caligis, quòd nescio quid ornatus superflui continerent, tantisque res agebatur vellicationibus & clamoribus, ut stare miselli adolecentes vix loco scirent, cerebrumque penè tinnitu rumperetur. Quiescente hinc ad dominorum mandatum turbâ, ministrare iussi sunt, argentumque depromere, quò vinum ferretur. Quis jam recensere possit exagitationes illas dirissimas, talitra, colaphos, plagas, quibus omnipenè momento onerabatur ipsorum patientia? *Pennales, vulpecula, caci, galli domestici, vituli, domina stri, matrum teneri gnati appellabantur;* vix sarcasum credo fuisse, qui in immerentes homines non vibraretur. Vinum, quod sua mercati fuerant pecuniâ, circumferre cogebantur, quò se ad vomitum alteri implebant; ipsi interim sicci & hiantes stabant, expositi omnium ictibus, alapasque quoties placeret imperiosis dominis, promptè excepturi. Incaluerant tunc vino animi, confirmarique debebat incæpta familiaritas: totum itaque sodalitium, quod mensæ assidebat, ad incundam fraternitatem temerè consensit, propinatisque hinc inde ingentibus vitis, tantis dejectionibus fidem sibi invicem promisit inviolatam, ut coaluisse indissolubili vinculo videretur. Ast, ô malè constantem contractam vitis amicitiam! Vix ista peregerant, cum in furias & arma ruitur. Accesserat unus ad præsens scortillum familiaris, cui jam alter inhiabat.

B J

Hic

Hic alium sibi præferri non ferens, provocat continuo ad decernendum gladio, quis amoribus istis potiri solus debeat. Luserant duo alii cartis, fraudemque unus fecerat; excusissimâ continuo palmâ fraudem adversarius ultus est. Duo tandem reliqui ingentia sibi vitra propinârant: uno totum nec aliis, ut curent, permittunt. Decrescit ita quotidie doctorum numerus, nec suppetunt, quibus reficiatur. Dicata namque studis juvenus perditur voluptatibus: senectâ demum ætatis fæces bonis artibus relinquuntur. Quo fine? quo instituto? nempe urgent nos fata, & succumbere debet Resp. nostra.

Non est, quod ab exteris caveamus; crescit in vitalibus serpens malum, ac ipsi, quibus, percamus, gignimus. Aristè contentæque domi habitus, ubi superatis scholæ molestiis huc quisquam advenit, certò de isto conclamatum existis mes. Perditur tempus, rerum pretiosissimum, perduntur sumptus, perditur bonus animus: pro morigero, pro pio, pro ingenioso, quem emiserant, filio, effrænem, impium, stupidum & stupitem parentes plerique recipiunt. *Nam horum, obsecro, vita, quid est, nisi perpetuum lustrû, nisi malorum congeries, nisi frugimentis inimica.* Exagitantur juvenes, seducuntur adolescentes, qui prima statim sub initia discere coguntur innumeros modos, quibus jucundè pereatur, hoc est, mores corrumpantur, facultates dissipentur, vitæ pro frivolâ re millies adeatur periculum. *Vitia hinc ad deceptos parentes referunt, qui ad virtutes referendas eos huc miserant.*

COR-

Considerare, mi Philaethes. si libeat, quibus studiis pleræque hâc horæ traducantur, quid inveniemus? Matutinæ somno & jentaculis, pomeridianæ crapulæ tribuuntur, lucubrationes tandem nocturnæ grassationes & tumultus sunt. Vbi dormitum est ad mædiam lucem, dulcique quiete ad satiem tenerum refectum corpuscuscum, ægrè subit surgendi cogitatio, non ut libros noster promat, amissumque tempus recuperet, sed ut sodalibus ad præsepe suum venientibus præstò sit. Surrexit; adsunt continuo muscæ, & nunquid vacuus ab hesternò onere sit stomachus? rogant; simul salsamenta, quibus sitis es mortua excitetur, aut aliud quid dapfile in foro vendi, annunciant. Actum est rursus de die illâ: accitur puer, panditur crumena, affertur jentaculum: ibi non disceditur, quàm saburratâ denuò ad dimidium celoce. Itur deminde, quò quemque animus incitat, dum prandii tempus appetit. Pars plateas perambulat, jamque de transigendis pomeridianis horis sollicita est, pars folle, pars pilâ ludit, pars denique in arte gladiatoria, quâ artificiosè noceri possit, exercetur. Prandetur postea; à prandio iterum discurritur, & ne semper suo sumptu, famelici non rarò nebulones, vivant, sollicitatur novitiorum marsupium. Ebrii hinc ad cibum redeunt, totiusque diei scenam tristi ad ultimum exodio finiunt. A cænâ quippe petuntur rursus noctis silentio plateæ, quas cum absone pervadunt clamoribus: nec fides us, nec testudines desunt, quibus, si quem Amaryllis sua urat,

Somnus ipsius interpellatur. Læta huc usque omnia: jam flebilem eventum accipe. Clamat unus; clamorem alter fortè præteriens reiterat: vocem continuò convitia, convitia gladii, gladios cædes sequuntur. Mille sunt aliæ causæ, quibus rabiosi in se concitantur, quarumque quasi perpetuas arbitras noctem & silentes tenebras eligunt. Optimè si res cedat, adsunt homines robusti ac asperi, ad compescendam tenebrionum istorum ferociam nocti à Phæbo præpositi, qui ingenti fustuario imbre in terga pugnantium misso, crurifragio interdum splendide auctos in carcerem & vincula rapiunt; dignas ibi pro meritis ut pænas luant. Sed quæ pænæ huic ferocitæ statuuntur? *Liberati vivunt rursus in circulum, semperq; ad vomitum canes redeunt.* Tacent adhæc & connivent Ephori ipsorum, senes, quos ante vidisti, umbraticæ planè apud tales authoritatis, quam ipsi perdiderunt, dum malos potius multos, quàm paucos bonos Academiam incolas habere præoptant. Quòd si magnas aliquando pectore iras concipiant, frigidissimo proposito schemate, ejiciunt hos suis limitibus, vel magis aliorum transportare malitiam jubent. Conniventia hæc unde originem trahat, quæris? Filiam unus domi habet desiderantem, virginem grandem, dote cassam, nemini elocabilem. Flammeum hæc nunquam ferret, nisi Academici essent. Multorum annorum vindictæ alteri conditæ jacent: Nunquam epotarentur, nisi Academici viverent. Alius denique, *his privato studentibus, pro publico commodo*

anxius

anxius est: eiectioni quippe si essent Academici, nemo strenas, nemo dona, nemo argentum depromeret, sicque sæpius *Esuria*, quàm *Como* litaretur. Hæc Poëta meus non poëticè recensebat, infrunitæ aliàs homo dicacitatis & Lucianei planè ingenii. Quoniam verò continuari me sermonem velle, risu meo significabam, non poterat, quin iterum pergeret. Scire jam, inquit, desideras, quid agant, ubi domum ad parentes revertentur, maximè cum sinisterior ipsos fama prævenerit? Strenuè mentiuntur, & Curios simulant, qui vixere Bacchanalia; quibus rebus ita credulis parentibus, matribus maximè, os oblinitur, ut plus adhuc se impendisse velint pro tam frugifiliolis. Licuit forsan per commestationes semel proverbium aliquod, aut acroama Philosophicum, aut Politicum axioma in transversum parietem vibrata excipere: his se jactat noster in conviviiis, in encæniis; his probat se sacrorum antistitibus, quos parentes ad eruditionem tentandam immiserunt; his omnium sibi reverentiam & docti nomen acquirit. Sed immanendum est negotiis, quibus assuevit; deficiunt sumtus; providere ergo sibi de vitæ genere cogitur. Tunc denique malè perditum temporis jacturam omnes sentiunt, dum nulli ipsos rei idoneos conscientia loquitur. Foro ali^o & litibus vilè operam vendit, si fælicissimè cadant consilia, alius aliud obit officiolum; plerique consumptis iis, quæ patrimonii è naufragio enatârunt, redactique ad incitas, obvium quodque, quò mendicitatem evitent, hi antes arripiunt. *Quàm sæpe tales levem merca-*

curam, imò marginiam quoq̄, faciunt, quàm se-
pè tabernis & popinis president, quibus in Aca-
demiâ juvenibus, nemo elegantius vexare peno-
nales, potare fortius turbas dare facilius potuit.
Hæc maximè dicente comite, constiteramus an-
te palatium structuræ elegantissimæ, cujus ve-
stibulo *Pallas* Apollini juncta è Pario marmore
insidebat. Tota divisa domus erat in duas par-
tes, ad quas geminæ portæ præbebant aditum.
Sustinebant ambæ duas statuas, muliebris figu-
ræ, quæ manibus junctæ tenebant tabulam, cum
dubiâ, quæ sequitur, hæc inscriptione.

ERVDITIONIS DOMICILIVM.

PROMPTE. HVC. ADEAS. QVISQVIS.
ES. SED. CAVTE. VTRAQVE. VIA. PATET.
VTRAM. CALCAVERIS. COMMODVM.
TE. IMMENSVM. AVT. DAMNVM. IR-
REPARABILE. MANERE. SCITO,
MONVI.

Portæ ad sinistram imposita erat mulier vestibus
amicta splendidissimis, auro nitens & margari-
tis, sceptrum manibus, capite coronam tenens.
Verùm oscillo facies munita erat, adeò subtili, ut
pleiorumque oculos fugeret. Confluxerat huc
ingens turba, & sacro quasi furore aditum am-
bibat.

— *Facilis descensus Averni,*

*Sed revocare gradum superasq; evadere ad
auras,*

*Hoc opus, hîc labor est; paucis, quos æquus a-
mauit*

Jupiter, —

ut pedem mature referrent, concessum est. Ad
vanam

vanam nimirum & speciosam eruditionē hīc accessus patebat, sicut à dextro latere vera petebatur sapientia. Sedebat & illic mulier, simplici & candidâ tunicâ, pulcherrimâ facie, nullis fucis, nullo colore munita. At rari adibant istam portam, quòd tristiora omnia viderentur, majorque jam paris ad alteram exemplo traheret.

Apparent rarinantes in gurgite vasto,

specioseque hodiè, quàm verè eruditi esse vulgò maiunt. Quàm vellem, hīc inquit comes meus, solo stratum esse atque dirutum hoc ad sinistrâ ædificium. Ista, seductrix ista Eruditio, emissaria Barbariei est; & nos illam, tanquam frugi ferimus? Ingrediamur hīc, si lubet, & secreta penetralia perreptemus. Ponere interim nubem nostrâ licebit; quòd non amplius res nobis cum ferocibus & seditiosis est. Ovilli profecto generis sunt pecora, nec est, quod à talibus metuamus. Dilapsa ab euntibus nebula, nosque juncti introivimus. Ingressis patebant statim latæ amplitudinis conclavia, exornata, instat Amphithèatri, subselliis; quorum in primo ingens juvenum numerus confluxerat, quòd *Seni cuidam atrato*, ex superiori loco magnâ contentione agenti, operam darent. Exponebat ille strigosas quasdam & valdè macilentas quæstiones, easque extensissimis ambagibus ita explicabat, ut explicatio quæstionibus deterior esset & implicatior. Admirabantur tamen ista, & hianter arripiebant subjecti juvenes, *solâ hīc commendatione, quòd difficiliora essent.* Pars pollens, uti videbatur, memoriâ, ingenti aviditate, intentis oculis, arreptis auribus, ore in pyramidem fastigiato, dicta arri-

arripiebat, arrosis subinde unguibus, si quæ ca-
 ptus teneritudinem superarent. Pars, eaque ma-
 xima, excipiebat magno sudore velocique cala-
 mo, quæ retenturos se memoriâ desperabant.
 Sed Danaidum hoc implere erat dolium, & casso
 labore, non cassas nugas agere. Non cassas nugas
 dico: nec enim nullû effectû, sed nimiû habebant,
dum cano, & sordibus arroptis, aurum & gemma
negligeretur. Nō tenuit se dicacitas comitis mei,
 quin nōnulla in aures meas insufurraret. Hi sunt,
 inquiebat, qualem tu illic senem vides, qui spe-
 ciosè ineptire profitentur, alterum & pernicio-
 sissimum Barbarici faventium genus. Istis salus
 deceptæ juventutis credita est, ad hos mittuntur,
 qui eruditi appellari olim cupiunt. Miserandi ju-
 venes hisce fidunt, proq; magnis sumtibus im-
 mēso labore, multis pervigiis suaviter insanire
 mercātur. Seducuntur etenim à veræ eruditionis
 semitâ, & penè rapiuntur ad vias ignotas, vias in-
 utiles, vias perniciosas. Dare se quis *Philosophia*
 conatur; obicitur continuò fallax quædam &
 intricaca opinio, quæ falsis principiis, & stultis
 sententiis, abstrahit à vero ad hos insultus pa-
 rùm munitum ingenium, avertitque ad se inopi-
 nantem adolescentem. Proponuntur quæstiones
 frivola, obscuræ, nullius usus, termini inauditi,
 fundamenta, non fundamenta, principia, non
 principia. Junguntur divisa, dividuntur conjun-
 cta, sectionibus & partitionibus, tenebriosis
 definitionibus & divisionibus res per se nullæ &
 stolidæ, nullius nec emolumentum nec voluptatis
 adeò imprimuntur avidis discendi animis, ut o-
 ptima & verissima præ his negligant; *quia nunc*
in

*in contemplatione etiam qualiumcunq; rerum
 versari, laudi ducitur.* Famelico mihi stoma-
 cho assimilantur, qui satiatus, objectis primùm
 quibusvis cibis, lautiores deinde dapes respuit.
 Non secus & hi miseri crudi adhuc ab ingestis te-
 merè opinionibus, nunquam deinde sanio-
 rem admittunt doctrinam. Exercent se inanibus næ-
 niis & vermiculantem nucem non valentibus;
*macerant cerebellum entitatibus, quidditatibus,
 subtilitatibus, soliditatibus,* roduntque putami-
 na perdentes interea nucleum. Capere & capi,
 fallere & falli, hoc est, sophisticari discunt, sicque
 rei alicujus veritatem indagaturi, exteriora se-
 ctantur, captant verba, ponunt, at parùm cautè,
 pedicas, relinquunt cor & medullam intacta, tan-
 demque ubi magnam se rem venatos autumant,
 ingens aliquod GRV ceperunt. Non minor est
 illorum morbus, *qui legibus se addixere,* imò
 perniciosior, quòd hi aliquantò plus nocumen-
 ti Rebus publicis afferant. Solliciti sunt de expli-
 cãdis veterum legibus, exleges ipsi, jureque,
 tanquam Delphico utuntur gladio. Lites pro-
 trahere, imò litem ex lite serere, fallaciis & ca-
 ptionibus judicem lassare, clientes emungere, ad-
 versariis ægrè facere; hæc sunt, quæ isti discunt.
 Ne demonstratum iri ex veris speres fontibus,
 quibus justis honestique ingenitis principiis hæc
 vel illæ nitantur actiones, quas malas, quas bonas
 natura doceat, quæ vitandæ, quæ suscipiendæ
 sint: Aliis hæc dicantur; Juris qui peritus dici
 voluerit, leges invertat, sententias detorqueat,
 causas quaslibet suscipiat, æquæ iniquæ sint, nil
 pensi habeat, easdem protrahat, sit promptus
 lin-

linguâ, mordax calamo, vafer fronte, totus in-
star anguillæ lubricus, paucis ut complectar o-
mnia,

Mille sciat fraudes atq; artes mille nosendi.

Talia tunc apprehenduntur, ubi dimissis æqui
& honesti naturalibus principiis, muta potius
mutarum Legum, quàm viva morum doctrina
pertractatur. Jam si sanctos illos & *Æsculapio in-*
itiatos milites consideres, proh! quantum & il-
lic turbarum invenies. Advolârunt hûc, ut de-
bilitatæ destructæque hominum sanitati opera
ferre discant, laudabili sanè instituto; quid repor-
tant? Naturæ mederi volunt, sed naturam igno-
rant, nec miseris fundamenta traduntur, quibus
naturæ ministria medicina insistit. Devolvuntur
nonnulli ad libros, ad herbaria, conficere &
præscribere pharmaca sciunt, quorum ipsi vires
nesciunt, & quoniam principiis carent, fingunt
sibi principia, adjuvanturque fallacissimâ in talibus
magistrâ, experientiâ. Erudiuntur alii ad
Cinifloniam, reddunturque *Alcumista*, genus
superbissimum simul & insulsissimum, ex qui-
bus, si in unum congeras, nec omnis, etiam ipso-
rum, ars quid falsi elicuerit. Hi non contenti,
quòd temerario instituto, cælum terræ miscere,
Deum æmulari, aurum ex non auro conflare co-
nentur; Chymiam etiam, fidam alioquin Medi-
cinæ ancillam, dominæ imperio subtrahunt,
eamque Medicinam solam, solam Philosophi-
am, stultissimi ciniflones, dicunt. Constituunt
huic inepta & ridicula, sed peculiaris principia,
illaque, ut ignoraretur facilius fucus, abscondi-
tis,

ris, sibi que ipsis ignotis nominibus appellant. Nō sunt, quibus Phæbus est infensor: nam novit, quantum per ipsos arti suæ detrahatur, & damni inferatur hominibus. Vatiniano à prioribus odio dissident, in hōc saltem concordēs, quòd utrique decipiant, utrique sanitatem oppugnent, utrique mortem accelerent: quoniam ipsis solis impunè occidere, sicut impunè furari, rabulis, concessum est. Duas maximè communes ambo virtutes habent, quibus decipiunt credulam & novitatis avidam plebem, sibiq; crumenam ut refertam habent, curant; *laetantiam* & *impudentiam*: illā homines mendaciis, hāc marsum nummis implent. *Cariùs nemini fucus unquam constitit, quàm vulgo*: pecuniā & precibus vitæ dispendium emunt, mercanturque à planis hisce & erronibus majori sumptu fraudem, quàm salubre à veris Medicis consilium. Sed nimiram ita vivitur: *Si insaniendum est, ea prestat insania, qua jucunda videtur; cùm misera esset alioquin mundi conditio, si insaniret pariter, & doleret.* Nescivi, quid in Poëtæ mei mordacissimis salibus riderem prius, aut indignarer, adeò seria jocosis mixta erant; locum tamen indignatio primum obtinuit. Cui enim patriæ amanti bilem non moveat modernæ eruditionis facies, deinde splenem?

*Si nostros cernis mores, nec ringeris Aule,
Heu! sunt, heu! nimium curta tabella tibi.*

Perpendebam utique comitis verba, & adhuc pauciora, quàm quæ in horas acciderent, retulisse

lisse ipsum arbitrabar. Novi enim; (sub rosâ
 hæc, nec nisi amicis indico; quòd si quæ petulâs
 lingua propalârit, improbè factum videri pronũ-
 cio,) novi, inquam, hominum genus, ἀμφίειον
 planè, quòdque ex omnibus aliis generibus con-
 flatum ad nullum refertur. Iterum, ne quis nimis
 soluti sit oris, edico: est namque ferũ, litigiosum,
 & non magno corpore magnos sæpe animos ge-
 rens; unde Camerina mihi moveretur, si palam
 fieret, quòd tetigissem. Illorum est, qui *sacrorum*
tractationi, sed non gratis operari gestiunt, Hi san-
 ctissimæ illi scientiæ non se addixerunt, ut mundo
 Christiano profint, sed ut sibi; &, quamvis nomẽ
 ab ipsâ mutuentur, nihil minùs, quàm ejusdem
 sunt studiosi. Immiscent se omnibus, decerpuntq;
 ex singulis scientiis singulas particulas, ex qui-
 bus turbulentum chaos nascitur, non secus, ac si
 multa jura confudisset coquus simul. Hic *Bartholo*
& Baldo legum apices, illic *Hippocrati* suos de-
 cerpunt aphorismos, delibatisque omnibus abs-
 que intellectu & delectu, ingentes redduntur Ar-
 delionæ. Enchiridion perlegisse, concionum a-
 liorum voluminibus aliquandiu irreptâsse, mille
 Græca aut Hebraica verba didicisse, quæ sermoni-
 bus ad imperitam multitudinem habendis instar
 piperis inspergantur, ac tandem verborum
 excoluisse, hæc Theologiæ studium putant. Re-
 versi itaq; domum magnâ anxietate ad obeundũ
 quòvis in loco Ecclesiasticum munus conten-
 dunt, seu mercenariam potiùs vendunt operam,
 ut sit quò vivant, quò faciliùs uxorem ducant.
 Miseri homines! quibus, si, cujus curæ officium
 ipsis indignis demandaretur, cogitarent, nunquã
 illi

Ali involutos fuisse, optabilius esset. Vbi verò
 horum avaritiæ, quâ præcipuè flagrant, non suf-
 ficit officium, deseritur extemplò sanctè com-
 mendata statio, accediturque ad ista, quæ haben-
 di cupidinem fatient. Hic depromuntur,
 quæ scientiis aliis in Academiâ decerpta sunt.
Attrahitur rustica turba, præscribuntur medica-
menta, commendantur: si semel feliciter cedant,
 expletur continuò popelli argento lacuna, quam
 explere muneris reditus nequeunt, late que vaga-
 tur rumor, corporibus quoque ægris nunc me-
 deri, qui animarum prius medicus fuerit. *Acqui-*
runtur deinde agri & possessiones, cum istis litigiat
 rursus, quæ juri puncta clepserint, ostendunt.
 Fiunt sibi ipsis Advocati, iidem clientes, nemoq;
 illis ferocior, nemo litigiosior, nemo in occipien-
 dis litibus facilior, nemo in deponendis est per-
 tinacior. Sed manum de tabulâ; plura penè
 quàm æquum sit, protulimus, & non sunt, quos
 minùs mihi inimicos velim. Ivinus porrò, no-
 tavimusque in transeundo plura conclavia, in
 quibus similiter juventuti artium præcepta, eâ
 quâ dixi, methodo monstrabantur: nec tamen
 ingressi sumus, quod nos eorum faties in priore
 jam tum cepisset. Perreximus verò ad sinistram,
 ibique duo rursus ostia nobis patuerunt. Ver-
 berabat ab uno horum aures nostras clamor,
 quasi depræliantium, vincentium & cadentium,
 qui acquiescebat subinde, mox quòdam, quasi
 tubâ, præcinente reiterabatur. Non continui
 curiositatem meam, sed rogavi comitem, num
 & Mars inter Musas dominaretur; Arrisit malus,
 &, *hic, inquit, nostri disputatores habitant quò-*
vis

vis gallo pugnaciores: Ludos tibi maximos dābūt, si introeas. Ut introivimus, apparuit statim homo exiguus, subpallens & valdè macilentus, atratus totus, qui magno sudore propositam sibi quæstionem defendebat. Quæstio erat: *an lana caprina, de quâ est proverbium, crispâ fuerit, instar ovina, an pendula?* Physica profectò & magni usus quæstio, quæ si non explicaretur, literæ caderent! Pendulam fuisse demonstrare nitebatur contra alium, qui contrarium astruebat, sæpeq; homini metum intra præcordia cōjiciebat. Sed miseri subveniebat timori auctoritas senis, quem patronum elegerat, qui adversario post multa argumenta ultrò citroq; vibrata acquiescere jussò quæstionem tandem decidebat. Non mansimus diutiùs, & inter egrediendum denuò quædam oggavimus Poëta. Notâsti, inquit, immane pugnandi cacoëthes, quod adeò inter hos invaluit, ut nemo doctus habeatur, nisi qui aliquoties hoc cribro fuerit versatus. Causas quas propugnent, vel ex hâc cognoscere licet, & ira Philosophi, ita Legistæ, ita Medici, ita quicquid eruditi nomen venatur, depræliantur. Quæstionem nuper quidam intulit, *an odor in pomo sit accidens?* & alius *de pulli bimaris dominio;* & tertius denique *de ratione conficiendi pulveris Chymici, quò insperso excidant dentes pulicibus, qui aniculas infestent*: præmia victoriæ summi eruditorum honores fuere. Non defendunt res tam frivolâs, quin patreos ex senibus, ephoris suis, inveniant. Emuntur illi magnis donariis, protruduntur in publicâ disputationum exempla, scæntia myriadibus obscurarum notularum & allegationū, quas quantò plures quis inferferit, tantò doctior habetur. Conveniunt inde sodales, opponunt multa, blaterant non pauca,

tan-

tandemq; post *umbratilem disceptationem*, talent, quale
 vidisti eventum pugna nanciscitur. Intulimus nos al-
 teri cōclavi, in quo diversa omnia, tacita, quieta, me-
 ditationum profundarū plena. Habitabant ibi homi-
 nes insanabili, ut putabam, morbo laborantes: *scri-*
pturiebant enim, mundumq; implere gestiebant nugis & vani-
tatibus succerebri. Crassa videre erat volumina; Sed que
 nihil novi, præter speciosos & novos titulos contine-
 bant, reliqua crambe merabis cocta, & jam ab aliis
 melius longè pertractata erant. Spectabiles maximè
 se faciebant *ambitiosuli poetastris* qui subinde gignebant
 carmina, sed quæ arrosū unguem non saperent, nec
 lucernam olerent. Occupabantur imprimis circa *Epi-*
cedia, & Epithalamia, & lessos & gratulationes, &
 quicquid harum naniarum est. Non prodibat dispu-
 tatiuncula, quin præco ex ipsis eligeretur, quò faci-
 lius, puta, venalis esset; Nemo nuptias celebrabat,
 quin *Fescennina* canerent; nemo mortuum efferebat,
 quin his tanquam præficis uteretur. Venabantur ver-
 ba, componebant *agrammatismos*, torquebant &
 distorquebant versus ad nomina eorum quos com-
 mendabant, unusquisq; altero ingeniosius nihil age-
 re stu debat. Et horum me tædui; perductus sum igi-
 tur à comite ad finem palatii, ubi duæ comparuerunt
 scalæ, quibus in supremam contignationem totius
 literarii ædificii ascendebatur. Una, quæ à dextris e-
 rat, à parte, quam vera eruditio, ut dixi, obtinebat;
 altera, ab istâ, in quâ eramus, surgebat. Nitida illa, &
 quasi nudius tertius confecta videbatur, hæc trita &
 longa calcatione fordida: lutulentis calceis ascen-
 dentes indutos fuisse, mihi persuadebam. Efferi per-
 has dicebantur, qui *Doctorum, Licentiatorum, Magi-*
strorum nominibus, supremis *Academix* honoribus
 mactati essent. Astabant ambabus scalis venerabilis
 faciei viri, atris rubrisque holoser cis amicti tunicis,
 qui pileum manibus & annulum & reliqua harū di-
 gnitatum insignia tenebant, imposituri illis, qui, ubi
 acri disputatione viros se ostendissent, hæc ascende-
 re cuperent. Notus erat his tanquam *Phæbj* minister,
 Poeta meus, itaq; iis haut invitis transire licuit. Cùm
 superâssemus scalas, aperuit se nobis iterum ingens
 area,

area, in quâ non exigua multitudo inambulabat, vultu severo, vestitu honesto, facie in rugas & Cato- nianam austeritatē composita. Suspiciebam hos & tã- quam orbis lumina venerabar; cùm Poeta, *noli*, inquit, *Philalethes*, *externâ nimiam specie moveri*: in his, quos mira- ris, *perpauci sunt*, qui cultum merentur; reliqui gratiâ, favore, corruptionibus evecti, eruditione nullâ commendati huc perve- nerunt, ut evolent inde in mundum principesq; cum populis, qui istorum operâ utuntur, pessimè circumveniant. Quon- dam isti honores non, nisi dignis, & iis, qui labalicens hoc ædificiũ tolerare possent, deferebantur, nunc ve- rò illis, quibus in manibus nummus est potens, tribu- untur, nec, destruant an sustentent nostrã Remp. cura- tur. Cordati hinc viri summæ hujus dignitatis abusũ adeo abominantur, ut oblatam etiam ob dispares fo- cios contemnãt, mereriq; eam, quã accipere mālint.

Non est vilis honos, Doctorũ honore potiri,

Qui sit, quod sæpè hic despiciatur honos?

Sicq; jacent, Musæ, quæ donant præmia doctis

Et prope nunc studiis nulla Brabea manent?

Doctrinæ hæc ratio est, largitio sola triumphat,

Nummus ubi loquitur, Tullius ipse tacet.

Indigni dignique simul, discrimine nullo,

Priscis temporibus culmina rara petunt.

Hac causa est, jaceant cur sic virtutis honores,

Ferreque de literis præmia nemo velit.

Isti autē, cū despici se, & nō ex desiderio suo coli animã advertant, captãt honorē, quē nemo defert, & iis etiã se pares jactãt, quos longa avorũ series & fumosæ a- triis imagines verendos reddũt. Sumũt ergo sibi lite- raris milites ausu proprio insignia militaria, qui mitelã potius pro casside, cartã pro clypeo, pennã pro hastã uti debebant, nobilibus se, Diis hominibusq; indignantibus, æqui- parantes; homines, meo judicio vanissimi, quos titil- lat honoris illig memoria, quē nunquã sũt promeriti

Et ita vidisti, mi Philalethes, miserabilē juxta & ri- diculã nostræ Reip. conditionē, quam in imagine hęc tibi exhibitã, re ipsã, ubi ad tuos redieris, firmiter te credas inventurum. Dixerat, & ambo prospeximus, cùm prævia aurora Solis orientis haut dubia indicia dedit. Discessit ergo ad curam solii Apollinei, ipsiq; sermone, mihi somni finis fuit.

Inches 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19 8
Centimetres


KODAK Color Control Patches

© The Tiffen Company, 2000

Kodak

LICENSED PRODUCT

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black



Le
A
In
Sim

